

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et
Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra
aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

Reuchlin, Johannes

Hagenoae, 1519

Erasmvs Roterodamvs Revchlino svo S. D. P.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

EPIS. ILLVST. VIRORVM AD

- Propo. 32. In disputa. arg. 47. & in declar. uulgari. §. 29.
 Propo. 33. 34. 35. falsata. In disput. arg. 48. & in uulgar. decla. §. 30.
 Propo. 36. In disputa. arg. 49. & in uulgar. declar. §. 31.
 Propo. 37. Ex uerbis consilii, In forma cuiusdam oppositionis mo-
 tum quod sentit talem obiectionem nihil ualere cum absq; so-
 lutione dicitur. Quicquid sit, quasi diceretur, q; hoc De per se
 nihil sit, in Consilio. fo. 16. facie secunda uersus finem.
 Propo. 38. In uulgari declaratione. §. 32.
 Propo. 39. In uulgari declaratione. §. 33.
 Propo. 40. In uulgari declaratione. §. 34.
 Propo. 41. In disputa. arg. 52. & in uulgari declarat. §. 36.
 Propo. 42. In declaratione uulgari. §. 38.
 Propo. 43. In declaratione uulgari quæ intitulatur Clara intelli-
 gentia. §. 39.

Quibus singulis, Hildebrande mei amatissime, a singulis quibusq;
 doctissimis (ut probum decet omnē arbitrum) graui ter ponde-
 ratis & compensatis, hastam abiicient Theologifia, ac suo more
 pro thorace ferrea consuetam Lenidensam induent. Nam ut ait
 Ouidius. Et mihi sunt uires, & mea tela nocent. Vale uirorum op-
 time. Et hoc Coloniensium Theologistarum futurorum atramen-
 tum cum amicis nostris & eis perq; doctissimis comunica, in rem
 meam consulturis. Iterum uale. I. Dieb. Octobris. An. M.D. XII.

ERASMVS ROTERODAMVS REVCHLI
 NOSVO. S. D. P.

SI Vales nostræ Germaniæ decus, est unde plurimum gaudē,
 Recutitus ille ex nocentissimo Verpo scelerator nō Christia-
 nus, sed Christianistes edito libello, eoq; uulgari lingua ne nō
 intelligant ipsius sōdales, doctos omnes ut audio nominatim la-
 cerat. Sed meo iudicio mōstrum modis omnibus indignum est,
 cuius mentio fiat in literis hominum eruditorum. Deum imor-
 talem, quali organo utuntur personati illi religionis euerso-
 res. Plus unus ille semiiudæus Christianus, nocuit rei christianæ, q̄
 uniuersa Iudæorum sentina. Planē, ni fallor, is suæ genti præbet,
 q; Dario Zopyrus, quanq; hic multo scelerator. Nos mi Reuch

IO. REVCH. LIBER SECVND.

line neglectis portentis Christo nos oblectemus, & honestissimis fruamur studiis. Tuus Roffensis & Coletus belle ualent. Omnes eruditi probiq; uiri te amāt. Expostulaui cum Dorpio, quare hæc Academia se miscuisset tuo negotio? nam huius stylo abusi sunt ad hoc negocii. Is respondit, unum Adrianum fuisse authorem, cui nunc contigit Cardinalatus. Nec unq; tamen fuisse mentionē hæreseos, sed errorum duntaxat. Quid autem uacat errore? Tam etsi ego nihil illic erroris uideo, Curauī libellum latine uertendū, ac misi Roffensi. Bene Vale. Louanii. XVII. KL. Decembres. Scripsissem copiosius, sed hic incertus erat γραμμαρφόρος.

Ioannes Roffensis Episcopus, Clarissimo
Ioanni Reuchlin.

SALVVS sis Reuchline charissime. Doleo plurimū literas eas quas ad me dederas periisse. Ne grauēris itaq; precor, ad nos scribere iterato. Sum enim ex tuis fautoribus unus, & fortassis non minus q̄ q̄ quotidie assidet lateri tuo, neq; minus mihi molestum est hoc iniuriatum negocium, quod Fratres isti faceffunt tibi, q̄ qui tui amātissimus est. Quamobrem te precor, oprime & eruditissime Ioannes, digneris nos aliquarum tuarum literarum participes facere, ne frustra uideamur nobis hunc nostrum amorem in te collocasse, & fœlix. Valeas. Ex Londino Angliæ.

ERASMVS REVCHLINO SVO S D.

IAm bis ad te scripsi, fortassis negligentius q̄ decuit ad tantum uirum, sed tamen amice simpliciterq;. At tu ne uerbo quidem respondes, Non possum quicq; de te suspicari, nisi quod sit eruditissimo simul & humanissimo uiro dignum. Episcopus Roffensis uir absolutissimæ doctrinæ in suis ad me literis ita de te meminit. Quod mei meminisse uolueris, & me per literas salutare, gratias ago tibi maximas, & præcipue quod de Reuchlin tam diligenter omnia scripseris, cui ego ualde faueo, quanq; incognito mihi. Ac paulo post. Ad Reuchlin illum redeo, cuius opera si qua ediderit quæ apud nos non fuerint, cures quæso ad nos perferri. Nam mihi ualde placet hominis eruditio, ut qui uicinius ad Ioannem